

suum professus est. Quos ab Ordine nostro honores nuper admodum petiit, comprobata collegis doctrinae copia, edito diplomate, haud difficulter, nam meruit, consecutus est.

CHRISTIANVS FRIDERICVS POHL, *Juris etc.*

LIPSIENSIS

Iuris utriusque Baccalaureus,

Præceptor +

Natus Lipsiae anno huius Saeculi LII. patre Ioanne Christophoro, Pathologiae P. P. O. Ordinis Medici Seniore, Academiae Decemuiro &c. matre Christiana Sophia, Lechlae, S. Theologiae Doctoris et ad D. Nicolai aedem Archidiaconi, filia; quibus optimis parentibus ut Deus vegetam senectutem, faustaque omnia largiatur, suo et fratrum nomine ex animo precatur. Ad religionem et bonarum literarum amorem ductus est domestica disciplina Lechlae, auunculi, Seyferthi, Hartwigii, Hennigii, Tittmanni denique et Wolfii, quo per omnem vitam academicam, in tractandis literis humanioribus, duce atque comite fidelissimo usus est. Horum quidem omnium in se erudiendo curam, gratissima mente praedicat. Hac domestica institutione bene praeparatus, anno LXX. ad Academiam accessit, iam anno LXVII. a Wincklero civium academicorum numero adscriptus. Ab eo tempore in Philosophia secutus est Garvium, in Matthesi Bortzium. Graecis latinisque literis excolendis auditor adfuit Moro, et Segero Cic. Orat. in Verrem explicanti. Ab Ernestio D. historiam catholicam, ecclesiasticam, Antiquitates Rom. et Archaeologiam percepit; Ernestio Eloqu. Prof. differendi exercitationes regenti, adsedit. Imperii Romano-Germanici, et Patriae historiam, Boehnius eum docuit; artem diplomaticam Wenckius. Cum autem Iurisprudentiae imprimis studium suum dicasset, iam Ictorum scholas adiit, et in his audiuit Sammetum Ius naturae, Institutiones, et romani Iuris historiam enarrantem; Schottum, encyclopaediam iuridic. Ius romanum, publicum universale, germanicum, et ecclesiasticum exponentem; Rauium ius clientelare tradentem, et differendi exercitia instituentem; Einertum, Wernheri compendium iur. civ. explicantem. Digestorum, et iuris criminalis doctrinam, a Zol-
lero,

87